

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Confessio succincta mane & sero deuote ruminanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

mei affectu saluto, optans ut millia millium cœlestium agminum tibi ministram, te ex me salutent, & decies millies centena millia tibi assistentium te ex me glorifcent, & omnia preclara desideria sanctorum omnium te ex me honorifcent: & uniuersa melodia omnium creaturarum te ex me collaudent, tecum exorent, ut mihi des bonam mortem, peccatorum plenam remissionem, & æternam saltem, Amen.

Confessio succincta mane vel sero deuota mente ruminanda.

Confiteor tibi Domine Deus, ego peccator miserrimus, & totus abominabilis, omnia peccata mea (innumerabilia enim sunt, & maxima, & horrenda) omnes peccatorum meorum circumstantias, omnes negligentias, vitorum passiones, ingratitudinesq; meas, quas à primæa ætate mea commisi usque nunc, & quorum participem me feci. Multos enim Domine Deus meus, verbis, exemplo, peruersa mea conuersatione, alijsq; occasionibus ad peccandum induxi, & animas, pro quibus tu sanguinem tuum effudisti innoxium, tibi abstraxi, & in damnationem misi.

Pro quibus omnibus, & meis, & alienis flagitijs, tuam infinitam deprecor beatitudinem, ut propter passionem & mortem tuam, quam pro nobis subiisti, cuncta deles & plenariè dimitras, mihiq; dulcissime Domine ignoscas. Decet enim te maximum, piissimum, potestissimum & misericordissimum, miseris, egentibus & propter te, & nisi à te nihil aliud habentibus, magnum miserationis & largitatis impere beneficium, quantoq; fragiliores sumus & miseriores, tanto copiose rem gratia tuæ benedictionem super nos effundere, atque ad te ruptis peccatorum nostrorum vinculis trahere, ut quæ beneplacita sunt tibi, faciamus semper, Amen.

Quando horarum auditur signum, Precatio I.

Adoro, laudo, & benedico te misericordissime Iesu, gratiasq; ago tibi pro amarissima innocentissimaq; passione tua ac morte, & pro omnibus beneficijs charitatis tuæ, mihi ingratisimo peccatori (quem usque ad hanc horam misericorditer sustines) exhibitis. Obsecro autem te per singulas guttas pretiosi sanguinis tui pro me fusi, da mihi veram ac iugem contritionem pro peccatis meis, emendationem vitæ meæ, & imitationem vitæ tuæ, secundum beneplacitum tuum.

Domine Deus meus, conuerte ab hac hora & posside me totum secundum beneplacitum tuum, & in me, de me, ac per me sanctissima voluntas tua semper fiat. Dulcis Iesu, augē & confirma super me gratiam tuam, & da mihi quicquid tibi placet, Amen.

Ad horologij signum, Precatio II.

Amantissime & misericordissime Deus, gratias ago excellentissimæ Majestati tui pro cunctis beneficijs & donis tuis, quæ ex gratuita tua pietate mihi ingrato unquam exhiberes dignatus, & præcipue pro omnibus his, quæ pro me & pro totius mundi salute hac hora vel agere, vel sustinere dignatus es.

Illiustra quæso me gratia tua, & fac me hac hora omnibusq; momentis meliorem tibiq; placentiore em fieri, & concede mihi veram requiem pacemq; cordis, ut iugiter cum omnibus sanctis te collaudem. Hoc idem rogo pro omnibus fidelibus tuis, maximè pro fratribus meis, parentibus, amicis & recommendatis, & pro quibus tensor vel tu desideras, Amen.

Ad hor-

